

*170. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*170. Instrumentum locationis seu
concessionis della chiesa della Ss. Trinità*

1553-11-21

(c. 283v) In nomine domini nostri Iesu Christi amen. Anno a nativitate ipsius millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio, regnantibus serenissimis et catholicis principibus et invictissimis ac potentissimis dominis Carolo de Austria divina favente gratia rege Romanorumque imperatore semper augusto ac Ioanna de Aragonia eius matre et eodem Carolo eius filio primogenito, eadem divina gratia regibus Hispanie, Castelle, Aragonum, utriusque Sicilie, Hierusalem, regnorum vero eorundem matris et filii in hoc regno silicet citra farum anno trigesimo ottavo, imperii autem ab elettione anno triginta sex <sic> feliciter amen, die vigesimo primo mensis novembris, duodecime inditionis, Potentie et proprie intus sacrestiam ecclesie Sante Trinitatis.

Nos Cesar Mazarella de Potentia regius ad contrattus iudex, Nicolaus Gribius Servanus incola ditte Potentie civitatis publicus ubilibet per totum iddem regnum Sicilie citra farum regia autoritate notarius et testes subscripti ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico locationis terrarum instrumento fatemur, notumfacimus et testamur quod eodem prefato die, coram nobis et in nostri presentia personaliter constitutis venerabile donno Ioanne Andrea de Clappis de Potentia, procuratore generali ditte ecclesie Sante Trinitatis, agente ad infrascripta // (c. 284r) omnia et singula procuratorio nomine et pro parte ditte ecclesie, cum consensu et authoritate venerabilium domni Hieronimi de Tito archipresbiteri, domni Marii de Tricarico, domni Riccardetti Meliorati, domni Gratiani de Granno, domni Antonii Pallottini, domni Hieronimi Zappe, domni Ioannis Baptiste Cappelli, domni Francisci de

Ursio, domni Antonii Mazarella et domni Ioannis de Iesualdo, clericorum ditte ecclesie in unum in ditto loco congregatorum, ad sonum campanelle et nemine ipsorum discrepantium ac etiam cum consensu et authoritate venerabilis domni Iacobi de Chirillo, generalis procuratoris reverendissimi domini episcopi, ibidem presentis et ditto procuratori eorum consensum et authoritatem dantium et prestantium, in toto presenti instrumento consentientibus prius in nos iudicem et notarium dittis procuratoribus et clericis tamquam in suos, cum sciverint et recognoverint nos suos non esse, nec nostre iurisdictioni subiettos, nostram iurisdictionem et officium in hac parte voluntarie prorogando et se ipsos summittendo, parte ex una, et nobili Girardo de Clappis ditte civitatis, agente similiter ad omnia et singula pro se ipso suisque heredibus et successoribus universabilibus et particularibus, parte ex altera, prefatus quidem procurator quo supra nomine, consensu et authoritate prefatis, sponte non vi, dolo malo, metu // (c. 284v) ad id induttus, nulla impressione aut suasionem motus vel aliter circumventus, ut dixit, sed sua mera, libera et gratuita ac spontanea voluntate, in nostrum quorum supra iudicis, notarii et testium subscriptorum presentia, pro evidentibus utilitatibus ditte ecclesie, locavit et concessit et titulo locationis et concessionis dedit et per fustem assignavit ditto nobili Girardo ibidem presenti, conducenti, recipienti et stipulanti pro se ipso eiusque heredibus et successoribus, omnes terras quas habet ditte ecclesia in territorio ditte civitatis, ubi dicitur la Fontana Verminosa, cum quadam machia et pantanis in eis existentibus, confinatas versus orientem iuxta terras conventus Santi Francisci aquali mediante, versus occidentem iuxta stratam publicam que dicitur

la strada de la Margione, versus septemptrionem iuxta machiam dittam la Machia de lo Cantore, terras santi Nufrii et iuxta stratam publicam, versus meridiem iuxta terras Santi Lazari et grittas ditti nobilis Gerardi via publica mediante et alios fines, per annos tres sequentes incipiendo a primo die mensis septembris proximi elapsi, pro annua locatione frumenti tumulorum quatraginta sex et ordei tumulorum viginti quatuor ad iustam mensuram, quam frumenti et ordei quantitatem promisit // (c. 285r) dittus nobilis Girardus consignare ditto procuratori quolibet anno tempore recollettionis in area in dittis terris de frumento et ordeo recolligendis in dittis terris. Attis, ad recipiendum in pace et sine diminutione aliqua, pattis et conventionibus infrascriptis: «che ditto me Girardo promette non tagliare, né fare tagliare arbore alcuno in ditta machia et, caso che ne fusse tagliato alcuno, darne notitia al detto procuratore aciò che possa contra de ditti incisuri de ditti arbori procedere et exequire quello vorrà la giustizia», quare sic inter ipsas partes attum extitit et expresse conventum. Quas terras ut supra locatas, promisit dittus procurator durante ditto tempore locationis alteri non locare, sed eas defendere, antestare, excalumniare ac de evitione teneri ab omnibus hominibus et personis quibuscumque, dominis, universitati seu collegio et ab omni persona volente contravenire, salvo in omnibus tempore pestis et belli; quam locationem, affittum et concessionem dittarum terrarum ac omnia alia prefata et infrascripta in presenti instrumento contenta ad invicem premissa promiserunt partes ipse una alteri et altera alteri, stipulatione legitima precedente, ratam, gratam et firmam ac rata, grata et firma prout ad unamquamque ipsarum spettat et pertinet habere, tenere perpetuo et inviolabiliter observare et

contra non facere, dicere, opponere // (c. 285v) vel venire, in iudicio vel extra, de iure vel de facto, aliqua ratione vel causa, ratis et firmis remanentibus pattis et conventionibus supradittis, quare sic inter ipsas partes ex speciali patto attum extitit et expresse conventum, lege qualibet non obstante, sub obligatione earum, ipsorum heredum et successorum eorum ac bonorum eorum omnium mobilium et stabilium seseque moventium, presentium et futurorum, ubicumque sistantium et de cetero extitorum, cuiuscumque vocabuli appellatione distinctorum ac etiam eorum que in generali obligatione non veniunt sine speciali verborum expressione et quod etiam ad ignorata extendantur precario nomine et penam unciarum auri viginti quinque, medietate ipsius pene, si eam committi contingat, regie curie vel alteri curie cuicumque ubi exinde reclamatio fatta fuerit vel querela et altera medietate eiusdem pene eiusdem <sic> parti prefata observanti et non contravenienti et eius heredibus et successoribus integre persolvenda, totiens quotiens fuerit exinde quomodolibet contraventum, me prefato notario tamquam persona puplica pro parte ditte curie et ipsis partibus presentibus pro se ipsis et eorum heredibus et successoribus una videlicet ab altera et altera ab altera penam solemniter et legitime stipulantibus anteditam. // (c. 286r) Qua pena commissa vel non commissa, soluta vel non soluta, exatta vel non exatta aut gratiose remissa, presens nihilominus instrumentum cum omnibus in eo contentis in suo semper robore et efficacia perseveret, rato manente patto cum refettione et integra restitutione omnium et singulorum dapnorum interesse et expensarum litis et extra litem que fuerint propterea quoquomodo, de quibus stari et credi debeat assertioni cum iuramento tantum alterius ipsarum

partium prefata observantis et non contravenientis et eius heredum et successorum, nulla alia probatione quesita, ita quod redduci non possit ad arbitrium boni viri, nec exinde quomodolibet appellari aut aliter reclamari. Que bona superius obligata ditte partes constituerunt se precario nomine tenere et possidere pro parte alterius ipsarum partium prefata observantis et non contravenientis et eius heredum et successorum, quod precarium liceat et licitum sit unicuique ipsarum partium preditta observanti et non contravenienti et eius heredibus et successoribus revocare et ad se advocare seu revocari facere, quandocumque eis placuerit, simpliciter et sollemniter et ut melius eis videbitur et placebit, nulla iuris vel facti sollemnitate servata que in huiusmodi bonis capiendis, vendendis et alienandis // (c. 286v) vel insolutum retinendis et dandis de iure requiritur. Et renuntiaverunt partes ipse una silicet alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti pro se, suis heredibus et successoribus voluntarie et expresse, ex certa eorum scientia, exceptioni doli mali, vis, metus et in fattum, presentis non sic celebrati contrattus reique preditto modo non geste seu aliter habite quam superius et inferius continetur et est expressum, exceptioni deceptionis et fraudis, privilegio fori, beneficio restitutionis in integrum, conditionibus indebitis ob causam et sine causa, litteris, privilegiis, cedulis, moratorii et rescriptis impetratis et impetrandis; et, ipsis inpetratis, promiserunt ipse partes non uti nec ipsorum vigore aliququaliter se iuvare, usibus, consuetudinibus, constitutionibus et capitulis regni huius premissis vel ipsarum alicui adversantibus quoquomodo ac omnibus aliis legibus, exceptionibus, questionibus, compensationibus, allegationibus et defensionibus iuris et

fatti quibus et propter que ditte partes et eorum heredes et successores contra premissa vel ipsorum aliquod venire possent quovis modo aut ab ipsis observantia se tueri, iuri dicenti generalem renuntiationem non valere et iuri quo cavetur quod ditto iuri renuntiari non possit ac omnibus aliis legibus, canonicis et civilibus, et auxiliis // (c. 287r) omnibus in corpore utriusque iuris existentibus et repertis. Certiorate prius ditte partes, ut dixerunt, per iuris peritum de iuribus ipsis et effectibus ac beneficiis eorundem ante quam renuntiarent eisdem legibus. Pro quibus omnibus supradittis et infrascriptis et eorum singulis firmiter observandis, attendendis, adimplendis et inviolabiliter observandis quodque prefata omnia et eorum singula vera sint et in nullo unquam vacillent, ditte partes una alteri et altera alteri presenti, recipienti et stipulanti ut supra coram nobis eisdem iuraverunt et corporale tatis litteris ad santa Dei evangelia presterunt iuramentum. Et fuit attum infra contrahentes ipsos, pro cautela uniuscuiuscumque ipsarum partium et eorum heredum et successorum, quod si qua iuris vel fatti sollemnitas in presenti instrumento deficeret vel clausula, tacite et expresse intelligantur in eo et totiens refici, corrigi et emendari possit quotiens opus erit ad sensum et consilium sapientis eligendi per partem prefata observantem et non contravenientem et eius heredes et successores, donec veniat ad lucidam formam veritatis et fatti substantia non mutata. Unde ad futuram rei memoriam ac dittorum partium preces ac ipsarum et eorum heredum cautelam ac omnium quorum et cuius inde interest et interesse // (c. 287v) poterit in futurum certitudinem, fattum est exinde de premissis hoc presens publicum locationis terrarum instrumentum, ad instantiam supraditti procuratoris per manus mei

prefati notarii, signo meo solito signatum, mei cuius
supra iudicis et nostrorum subscriptorum testium signis
et subscriptionibus roboratum.

1

2

3

Quod scripsi ego idem Nicolaus publicus ut supra
notarius qui premissis omnibus vocatus et rogatus
interfui ipsumque meo consueto signo signavi. (SN) Ego
Cesar Mazarella Potentinus regius ad contrattus iudex
in predittis interfui et me subscripsi et signum meum
apposui consuetum (S) Ego notarius Ioannes Antonius
Scafarella Potentinus pro teste interfui Io Ioambattista
de Santoro de Potenza sono testimonio † Signum crucis
proprie manus Mathie de Ferrera de Potentia idiote et
scribere nescientis ut dixit

Così S per Grisius Serranus (da docc. coevi)

In docc. coevi Gratiano

in docc. coevi Iannini